

1528 co natura munito, atque ad obsessos quamplurimis incommodis afficiendos opportuno (*Collem regalem* vocant) posito.

*Venetæ triremes ad Apulie oras.*

*Petrus Ländus in Cretam contendit ad agrestium tumultus compescendos.*

*Hermolaus Maurocenus, & Camillus Urfinus Mäfredoniam obsident.*

*Andreas Civranus obiit.*

*Brundisium a fœderatis occupatum.*

*Bernardo Sagredo Brundisii arcis oppugnatio committitur. Triremes a Lautrechio Neapolim evocate.*

Interea cum classe Veneta Corcyrae reparata, quæ sexdecim triremibus constabat, legatus in Apuliam pervenerat: nam Petrus Lando imperator, ut agrestium nonnullorum tumultus, qui Cydone in Creta insula excitati fuerant, compesceret, eo navigare coactus fuerat. Legatus totam Apuliae oram legere; confirmare populos; spe mitioris Reipublicae imperii allicere; ad deditionem sollicitare: cum adhuc Hydruntum, ac Brundisium, quæ Venetis paruerant, minime ad nostros accessissent. Manfredoniam urbem Hermolaus Maurocenus sinus Adriatici Praefectus cum nonnullis triremibus mari, Camillus Urfinus terra oppugnare ingenti conatu adoriuntur; obsidione cingunt; Ranutio Farnesio cum ducentis equitibus, Hieronymo Cremona cum totidem peditibus mœnibus egressis, ut nostros inopinato offenderent, Andreas Civranus Epirotarum equitum Praefectus, pugnae impetu excepto, egregie cum hoste congressus tandem fudit, atque intra mœnia non sine multorum cæde, & captivitate compulit: quod supremum illius facinus fuit; nam postea morbo correptus summo omnium dolore ob militarem scientiam, ac fortitudinem, quam liberalitas, & magnanimitas comitabantur, excessit. Brundisium nuper in nostrorum potestatem venerat; arcem Cæsareani valido militum praesidio tuebantur, quam legatus quater tormentis instituerat, illiusque rei curam omnem Bernardo Sagredo trierarcho, juveni impigro, ac solerti mandaverat; qui cum, exscensione maritimarum copiarum facta, aditum in eam non sine magna illius potiundi spe moliretur; Lautrechii jussu cunctis triremibus Neapolim versus revocatis, victoria, quam jam præ manibus habebat, repente intercepta est. Cæsareani cum celerrimo victoriae cursu tot oppida vel vi, vel deditione capta in hostium potestate esse cernerent, id unum sibi superesse animadvertabant, si totius regni caput servaretur. Omni itaque conatu praesidiis militum Neapolim firmare; frumentum, ac victui necessaria convehere; quæque ad amplissimam urbem incolarum ingenti numero refertam tuendam sufficerent, comparare; ad viginti quinque millia frumenti sextarium e Sicilia Hispanis